

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0200

0198

0204

0194

0209

0189

0249

0149

0299

0099

0699

Ende

Anfang

189

qui dicunt, eam reginam Aegypti et Arabiae fuisse, quia
deficientibus Pharaonibus regibus Aegypti successerunt Can-
daces, ut habet Boccacius de claris mulieribus Cap. 41. Erat
autem regina illa foemina devota, et misit suum eunuchum
aethiopem, custodem omnium thesaurorum suorum, cum multis
muneribus et donariis ad templum in Jerusalem, ut ibi ado-
raret et dona offerret. Quo facto in currum descendit, ut
ad propria remearet, et tam sedulus ad divina fuit, ut etiam
sedens in curru prophetias legeret. Quem jussu Spiritus
S. accessit Philippus eumque instruxit et in loco hoc bapti-
zavit. In hoc ergo loco genu fleximus, et orationibus dictis
indulgentias receperimus(†). Deinde ad fontem sedimus et ea, quae
de Bethlehem tuleramus, de sacculis produximus, et comedimus
panes et bibimus aquam, quae clara, frigida, recens et sana
erat. Est autem fons adeo celebris, quod usque ad eum di-
vites et honesti de Jerusalem equitant pro solatio et refrigerio.
Sic ergo nobis sedentibus juxta fontem multi Sarraceni per-
transierunt, quia via publica ibi (251 A) descendit in Gazam,
i. e. in Africam, ut dicit Glossa et Magister in Spec. Histor.
Nec tamen aliqua injuria aut molestia nobis fuit illata a
quocumque. Illis autem, qui juxta fontem substiterunt et bi-
berunt, dedimus de nostris panibus, et sederunt nobiscum quam
plures Sarraceni. Tandem venit quidam cum sporta plena op-
timis et dulcissimis botris, et nos ei exhibuimus saccos nostros
cum panibus, quae commutatio fuit sibi gratissima, et ita
manducavimus et bibimus simul in loco et usque ad solis
declinationem simul ibi mansimus. De hoc loco dicit Beda
super Actus Apostolorum: Bethsaro vel Bethsura in terra
Juda euntibus ab Helia Hebron, i. e. a Jerusalem in Ebron,
XX. lapide, juxta quem est fons ad radices montis, ebulliens
ab eodem, in quo gignitur, absorbetur humo, in quo Philippus
baptizavit eunuchum. Cum ergo bene in illo loco recreati
fuissemus, bestias adscendimus, et festini contra Jerusalem
properavimus, quia sperabamus, eodem sero nos ingressuros
in dominicum sepulchrum; nisi enim illa spes fuisse, in Beth-
lehem cum fratribus per aliquot dies mansissemus, vel noctem
in deserto S. Johannis Baptistae fecissemus. De quo dictum
est supra fol. 192 A., quod valde libenter fecissemus. Nam

